



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Philippi Clüveri[i] Germaniæ Antiquæ Libri tres

Clüver, Philipp

Lugduni Batavorum, 1631

Lectori auctor S.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44541

QUO PUS hoc nostrum, amice lector, quod de antiqua Germaniâ conscriptum imus, quamquam multo superiora Taciti ævo, multoque inferiora tempora complectatur; tamen quia plurimâ ex parte quasi commentarius est perpetuus ad ejus librum, quem de Germaniâ situ ac populis, deque Germanorum origine ac moribus composuit; integrum eum librum huc adponere consilium fuit. Is uti antehac ab aliis interpretibus haud satis intellectus; sic etiam illa, quæ passim in eo à librariis corrupta erant, perperam correctâ sunt: ac sæpe ipsa oratio in contrarium, sæpissime in diversum sensum distincta. Nos eam fecimus emendationem, easque addidimus interpunctiones, quas rerum verus posebat sensus. Tu vale, & nostris hisce laboribus felix latuque fruere.

G. CORNELII TACITI,
equestris Romani, scriptoris gravissimi,

LIBER DE GERMANIA:

à mendis quamplurimis purgatus, & locis aliquot transpositus
novisque interpunctionibus in verum sensum distinctus;

PER PHILIPPUM CLUVERIUM.

Adjecta est ex adverso ejusdem libri editio LIPSIANA.

EDITIO CLUVERIANA.

GERMANIA omnis à Gallis Rhætiisque & Pannoniis Rheno ac Danubio fluminibus, à Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur: cetera Oceanus ambit, latos sinus & insularum immensa spatia complectens; nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus Rhæticarum Alpium inaccessis ac præcipiti vertice ortus, modico flexu in occidentem versus, septentrionali oceano miscetur. Danubius, molli & clementer edito montis Abnobæ jugo effusus, plures populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat. septimum enim os paludibus hauritur. Ipsos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus & hospitibus mixtos. quia nec terrâ olim, sed classibus advehebantur, qui mutare sedes querebant; & immensus ultra, utque sic dixerim, adversus oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur. Quis porro, præter periculum horridi & ignoti maris, Asiâ aut Africâ aut Italiâ relicta, Germaniam peteret; informem terris, asperam caelo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit. Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus est) TUITONEM deum, terrâ editum, & filium MANNUM, originem gentis conditoresque. Manno tris filios assignant; è quorum nominibus proximi oceano Ingevones, medii Herminones, ceteri Istævones vocentur. Quidam autem, licentiâ vetustatis, plureis deo ortos, pluresque gentis appellationes, Marsos, Gambrivios, Svevos, Vandalios affirmant: eaque vera & antiqua nomina. ceterum GERMANIÆ vocabulum recens, & nuper additum. quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, nunc Tungri, nunc Germani vocati sunt. ita nationis nomen, non gentis, evaluisse paulatim; ut omnes primum victores à victis ob metum, mox à se ipsis invento nomine vocarentur. Fuisse apud eos & Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in prælia canunt. Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem barditum vocant, accendunt animos; futuræque pugnæ fortunam ipso cantu augurantur. terrent enim, trepidantve, prout sonuit acies. nec tam vocis ille, quam virtutis concentus videtur. affectatur præcipue

EDITIO LIPSIANA.

GERMANIA omnis à Gallis Rhætiisque, & Pannoniis, Rheno & Danubio fluminibus; à Sarmatis Daciisque, mutuo metu aut montibus separatur. Cetera Oceanus ambit, latos sinus & insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus Rhæticarum Alpium inaccessis ac præcipiti vertice ortus, modico flexu in occidentem versus, septentrionali Oceano miscetur. Danubius molli & clementer edito montis Abnobæ jugo effusus, plures populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat. septimum enim os paludibus hauritur. Ipsos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus & hospitibus mixtos: quia nec terrâ olim, sed classibus advehebantur qui mutare sedes querebant: & immensus ultra, utque sic dixerim, adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur. Quis porro præter periculum horridi & ignoti maris, Asiâ, aut Africâ, aut Italiâ relicta Germaniam peteret; informem terris, asperam caelo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit. Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus est) Tuitonem deum terrâ editum & filium Mannum, originem gentis conditoresque. Manno tris filios assignant, è quorum nominibus proximi oceano Ingevones, medii Herminones, ceteri Istævones vocentur. Quidam autem licentiâ vetustatis plureis deo ortos, pluresque gentis appellationes, Marsos, Gambrivios, Svevos, Vandalios affirmant: eaque vera & antiqua nomina. ceterum Germania vocabulum recens, & nuper ^{*Lego, audi-} additum: quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, nunc Tungri, nunc Germani vocati sunt. ita nationis nomen, non gentis evaluisse paulatim, ut omnes primum à victore ob metum, mox à seipsis invento nomine Germani vocarentur. Fuisse apud eos & Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium. Ituri in prælia canunt. Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem barditum vocant, accendunt animos; futuræque pugnæ fortunam ipso cantu augurantur. terrent enim, trepidantve, prout sonuit acies. Nec tam vocis ille, quam virtutis concentus videtur. affectatur præcipue

*** asperitas